[...]scripto, in Curia
[...] senatori
[...] 3. July 1641

Nobiliss.e et amplissime Dne:

Insigne Carmen tuum, pari ab affectu ac industria profectum utrique Principi, quod ut sic quidem mandaveras, obtuli; ornatum verbis, quantum pro merito potui: pro amicitia debui. Respondit utriusque nomine Imperator Pater, plurimum se debere tibi; gratias item habere quam maximas, quod fervidibus districto negotijs placuerit in has amoenitates excurrere, non tam eruditioni ostentandae, quae abunde est nota, quam demonstrando in Patriam et res Auriacas amori ac benevolentiae plane singulari. Superest, ut gratias agam, quas ago, meo quoque nomine, Vir Ampl.me quem de potiori turba seligere voluisti magnae humanitatis tuae vilem proxeniolam. Ruborem illa mihi iis incussit, cogitanti nescio quo fato, neglexisse me nuper offerre tibi dissertatiunculam de Organis Ecclesiarum, tradidi [illegible], typis vulgatam. quod si amplissime vir placabilis es, neque adhuc singularem istam lectionem perdidisti, nunc demum ut perdas petere a te audeo, atque ut, expressis rigide argumentis, aperte significes τῷ πρέσβυν, Τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη. Sententiam denique de sententijs dicere assuetus, de mea dicas, quasi è Tribunali Curiae, à quo nulla provocatio est. Expecto quam mox compotem me tanti beneficij facias, et castigando quoque doceas quam non inter amicitiae tuae tirones sit

Tibi devotiss.